N° 72

S. N.

Dn̄o Constantino Hugenio S.P.O.
A. M. à Schurman

Non unius tantum imaginis contemplatione oculos, mentemq̃ m̄eã oblectare dignatus, Virorū humanissime; quarū unam, meo judicio, pretiosissimā, quæ speculi vice, infelix vitium, quod sæpe virtutis specie suggestū sacrum occupat, Ecclesiasticis repræsentat, mihi reservo: cæteras tibi, cum multiplici gratiarū actione grata, remitto. Nec est quod ego hic singularū laudes depingere coner, postq. jā aliquot retro annis hujusmodi deliciis valedixi; nec facile in gratiā cū Apelleā arte, quâ mihi opus esset, redire possim. Aliud Picturæ genus obversatur animo meo quo cœlestem imaginem, sive exemplar divinarum virtutū Summi ac pulcherrimi nostri Regis ac Servatoris IESU, si minus calamo in charta, quod aliquandiu frustra tentavi, certe in animo meo aliqua ratione imitari, atq ex primere queam. Video quotidie magis ac magis hanc Artem esse longā, vitā brevē, et occasione difficilem; nec tamen cuiquam, nisi aliquo divini hujus χαρακτῆρος fulgeat radiolo, ad cœlestē curiam patere aditum. In hac tabella siquis feliciter vel unicissimas ducere didicerit lineolas, is omnes facile Protagoras juxta atq Apelles, infinitis parasangis post se relinquet. Ego verò in hoc studio vitā finire desiderans, hanc in hoc voto finio, ut Deus Opt. Maxi: solus hujus artis Doctor, Te, mi, suosq. oẽs hujus τέχνην doceat, ad sui gloriā, et Ecclesiæ veræ reformationē. Id. 7bris CIↃ.IↃ.C.LXIX. Ultrajecti